



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Quòd homilibus in insistendum est operibus, cùm deficitur á summis. Ix

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Job. 13.  
Psal. 17.

408 DE IMITATIONE CHRISTI  
stias foris & intus. Non est, qui me consoletur ex omnibus, qui  
sub cœlo sunt, nisi tu Domine Deus meus, cœlestis medicus ani-  
marum, qui percutis & sanas, deducis ad inferos & reducis. Dis-  
ciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.

6. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga cor-  
rectionis tuæ me inclino, percutere dorsum meum & collum meum,  
ut incuruem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me  
pium & humilem discipulum, sicut bene facere consuevisti, ut  
ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me, & omnia mea, ad  
corrigen- dum commendo; melius est hîc corripî, quàm in futu-  
ro. Tu scis omnia & singula, & nil te latet in humana conscien-  
tia. Antequam fiant, nosti ventura; & non opus est tibi, ut quis te  
doceat, aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu scis, quid  
expedit ad profectum meum, & quantum deseruit tribulatio, ad  
ruginem vitiorum purgandam: Fac mecum desideratum bene-  
placitum tuum, & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli  
melius nec clarius quàm tibi soli notam.

7. Da mihi Domine scire, quod sciendum est; hoc amare, quod  
amandum est: hoc laudare, quod tibi summè placet: hoc reputa-  
re, quod tibi preciosum apparet: hoc vituperare, quod oculis tuis  
sordescit. Non me suas secundum visionem oculorum extero-  
rum iudicare: neque secundum auditum aurium hominum im-  
peritorum sententiare: sed in iudicio vero, de visibilibus & spiri-  
tualibus discernere: atque super omnia, voluntatem beneplaciti  
tui semper inquirere.

8. Falluntur sæpe hominum sensus in iudicando: falluntur & a-  
matores sæculi, visibilia tantummodo amando. Quid est homo  
inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem,  
vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum ex-  
altat: & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam  
quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est & non am-  
plius, ait humilis sanctus Franciscus.

#### CAPVT LI.

*Quòd humilibus insistendum est operibus, cum deficitur  
à summis.*

**F**lli, non vales semper in feruētiori desiderio virtutum stare,  
nec in altiori gradu contēplationis cōsistere: sed necesse ha-  
bes interdū ob originalem corruptelā ad inferiora descendere, &  
onus corruptibilis vitæ, etiā inuitè & cū tædio portare. Quamdiu  
mortale corpus geris, tædiū senties, & grauamen cordis. Oportet  
ergo sæpe in carne de carnis onere gemere, eo quòd nō vales spi-  
ritualibus studijs & diuinæ contēplationi indefinenter inharere.

2. Tunc



2. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis actibus te recreare, aduentum meum & supernam visitationem firma confidentia expectare, exilium tuum & ariditatem mentis patienter sufferre, donec iterum à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliuisci, & interna quiete perfrui. Expandam coram te prata scripturarum, vt dilatato corde, currere incipias viam mandatorum meorum. Et dices: *Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

## CAPVT LII.

*Quod homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum.*

1. **D**OMINE, non sum dignus cōsolatione tua, nec aliqua spiritali visitatione; & ideo iustè mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum, quàm flagellari & puniri; quia grauiter & sæpe te offendi, & in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione. Sed tu clemens & misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum diuitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omne proprium meritum, dignaris consolari seruum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ consolationes.

2. Quid egi Domine, vt mihi conferres aliquam cælestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse. Verum est, & negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me; & non esset, qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, nisi Infernum & ignem æternum? in veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu; nec decet me inter tuos deuotos commemorari. Et licet hoc ægrè audiam, tamen aduersum me pro veritate, peccata mea arguam, vt facilius misericordiam tuam merear impetrare. Iob 9.

3. Quid dicam reus, & omni confusione plenus? Non habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum: Peccaui Domine, peccaui; miserere mei, ignosce mihi. Sine me paululum, vt plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam & operam mortis caligine. Quid tam maximè à reo & misero peccatore requiris, nisi vt cōteratur & humiliet se pro delictis suis? In vera contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, tuetur Psal. 50.  
Iob 10.